

Wd  
973









Wd  
973

ORATIO PANEGYRICA,

QVA

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO II. *Gotha*

SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE  
ET MONTIVM, ANGARIAE QVO-  
QUE AC WESTPHALIAE DVCI, LAND-  
GRAVIO THVRINGIAE, MARCHIONI  
MISNIAE, PRINCIPI COMITI HENNE-  
BERGENSI, COMITI MARCAE ET RA-  
VENSBERGAE, DYNASTAE RAVEN-  
STEINII ET TONNAE,  
CETERA,

PRINCIPI AC DOMINO

SVO INDVLGENTISSIMO

IN NATALI XL.

FELICI SIDERE D. VIII. AVGVST.

EXORTO,

IN

AVDITORIO COLLEGII MAIORIS PRINCIPVM

ACADEMIAE LIPSIENSIS

PVBLICE RECITATA,

DEMISISSIME DEVOTISSIME QVE

GRATVLATVR

M. IO. GEORGIVS WALCHIVS.



LIPSIAE,

TYPIS IO. ANDREAE ZSCHAV,

M DCC XV.





ORATIO PANEGYRICA

QVA

SERENISSIMO PRINCIPIS DOMINO

DOMINO

FRIDERICO II

SAXONIAE IVLIAE CLIVIAE

ET MONTIVM ANGARIAE OVO-

QVE AC WESTPHALIAE DUCI LIND-

GRAVIO THEVRINGIAE MARCHIONI

MISIAE, PRINCIPIS COMITI HENRI

BERGENSI COMITI MARGALTI RA-

VENSBERGENSI DUCI SASSONIAE RAVEN-

STADII ET TONNAE

PRINCIPIS AC DOMINO

SVO INVIGENTISSIMO

INNATALL XI

ELIGI SIBERE D. VII. AUGUST.

FORO

AVDITORIO COLLEGIUM MAIORIS PRINCIPUM

ACADEMIAE LIPSIAENSIS

PUBLICAE RECITATA

DEMISSISSE DE VOTISSIMIS

GRATIA

M. IO. GEORGIVS WALCHIVS.

LIPSIAE

TYPIS IO. ANDREAE ZSCHAU

MDCCLXX



GRATVLATIO  
IN NATALI XL.

*SERENISSIMI SAXONVM DVCIS*

**D. FRIDERICI II.**

GOTHANI.



Aluus est Serenissimus  
PRINCEPS FRIDERI-  
CVS, salua clementissima  
VXOR, salui Principes  
florentissimi iuuentutis,  
salua, felix, pacata respublica, & omnia o-  
ptatissimo fortunæ cursu feruntur, vt  
tantæ Dei benignitati, a qua tantus mu-  
nerum in nos redundat cumulus, tantæ  
PRINCIPIS clementiæ, tantæ eiusdem  
iustitiæ ac pietati prædicandæ impares  
nos esse deprehendamus. Hoc igitur au-  
gustissimo die, die PRINCIPIS natali, qui  
submissæ venerationis & obseruantia spe-  
ciem commendat, & inlustriora cæli be-  
neficia in animum & memoriã iucunde

A

no-





nobis reuocat, hac inquam splendidissima die luce, tot exultantium hominum sensus ex recessu mentis sese proferre, tot gestus miranda vi lætitiæ exprimi, tot vota tot gratulationes, tot lætissimos strepitus coram Te fieri, id nemo, nisi omni mentis pietate exutus, mirabitur. Quod enim illustrius, quod pulcrius est munus Dei immortalis, quam pius, fortis, felix, benignus, eruditus Princeps? qui non forte ac casu, sed cura Numinis Rector terris datur, quem non fortuna constitutum, sed ab æterna sapientia cælestique præsidio esse, pulcherrimus rerum ordo, harum moderatio sapientissima, earundemq; maius ac melius incrementum firmissime nobis persuadent. Ingratissimi essent mortalium, nisi ad auctorem ea, quæ bona acceperunt, grata mente referant, ac Dei beneficia sacratori religionis ac ceremonia transigant, vt pietatis officia cælestium munerum magnitudini certo modo ac ratione quadam respondeant. Agnoscant propitii cæli benignitatem, qua habent

Sere-



Serenissimum PRINCIPEM, Dominum  
clementissimum, saluum atque incolumem, omni felicitatis genere cumulatam  
atque ornatam, & ad summum, quod benignitas naturæ dat, fastigium clementiæ  
euectum: præstent, quod diei huius proprium est, & de futuro solliciti, vt salustanti  
Principis & subinde multarum regionum, omnisque musarum litteraturæ  
felicitas seruetur; supplicent summo Numini, & obsequii sui ac demississimæ  
mentis significatione augustissimo Principi gratulentur.

Vnde est rerum publicarum salus? vnde  
illarum felicitas? vnde musarum fortuna?  
earum stabilitas, firmitudo atque incrementa?  
Paganorum religionis cultores venerentur  
fortunam, quæ dominetur rebus humanis &  
sublimi sedens folio pro libidine voluat  
res mortalium; nos professioni christianæ  
consecrati, tam fallaci, tam titubanti  
Numini regnorum, principatuum,  
rerum publicarum florem nequaquam  
vindicare ac tribuere possu-



mus. Deus est, qui leges imponit mortali-  
libus, qui regna & respublicas constituit,  
firmat, seruat & tutatur, vt hominum ge-  
neri studiis & corporis & animi tranquille  
vacare liceat; Deus est, qui bonos Re-  
ges ac Principes, in quos tutela generis  
mortalium transfertur, seruat feliciter,  
annos eorum ætatis auget, consilia, actus  
fortunat, successum pace, bello exopta-  
tum largitur; Deus quoque est, qui Se-  
renissimum PRINCIPEM FRIDERI-  
CVM in tam celsa sede collocauit, vt  
veluti sol ac beneficum sidus regiones  
suas ac musarum officinas inlustret, ca-  
lesfaciat, reddat fœcundiores, & plurimis  
tanta exhibeat signa clementiæ, vt ne-  
minem a se dimittat tristiore. Huic  
propitio numini, a quo diuinitus tam lar-  
ga ad nos defertur prosperitas, multa de-  
bere nos intelligimus, eoque in primis  
nomine, quod PRINCIPEM nostrum  
saluum esse voluit: PRINCIPEM,  
PRINCIPEM, inquam, qui omnium  
splendore virtutum, quo Reges ac Prin-  
cipes



cipes possunt nitere, inlustratus iamdu-  
dum consecratus est immortalitati, cuiq;  
litterarum musæ haud immemores bene-  
ficiorum id præstabunt, vt gloria ei, æter-  
nitatis sit comes, nec minuatur vetustate,  
sed vires ab æuo, ac incrementum ab an-  
nis capiat largissimum. Quorsum cir-  
cumspicio, magna, summa, illustria mihi  
omnia occurrunt, quæ nec animo per  
magnitudinem possum complecti, nec  
verbis tali Principis fastigio dignis inlu-  
strare. Differere possem de initio, quod  
natura constituit, de ortu quippe & na-  
taliū splendore, quem illustrissimum  
PRINCEPS noster clementissimus for-  
titus fuit: differere possem de tanta ge-  
neris sui antiquitate, ac tanta familiæ cla-  
ritudine, vt illam ad prisca gentes, ad om-  
nes Imperatores, Reges, Principes toti,  
Europæ referat, & diuturna successione  
demonstret. Germania nostra tam mul-  
tos potentissimos Imperatores, celsissi-  
mos Principes admiratur, qui æternæ iam  
consecrati sunt memoriæ & quorum me-  
rita

B

rita



rita totum terrarum orbem implerunt:  
cum his Princeps noster sanguine cognatus est, & cum istis communes habet progenitores. Portugallia, Anglia, Gallia, Dania, Suecia, Polonia, Porussia numerat tot Reges, qui virtutum meritis famam ad posteros transmiserunt, quos & Princeps noster sanguine sibi habet coniunctos, horumque gloriam augustissimam sibi iure quodam suo vindicat. Quæ quum omnia summa sint, & culmina rerum, quas orbis habet, adæquant, viribus meis prorsus diffido, quæ magnitudinem tam augusti argumenti haud capiunt, vt adeo multo sit consultius, sermonem meum huiuscemodi excelsissimas res relinquere intactas. Magna omnino felicitas, nihil in familia, nisi quod regium & maiestate plenum intueri, eamque in altissimam recurrere antiquitatem: augustior tamen atque sublimior gloria est, quum sequuntur mores vim natura ingenitam, iique ad magnificam virtutem magis magisque conformati. Sed e longinquo  
sciri B cam-



campum, qui laudatori Principis nostri  
Serenissimi percurrendus, inspicio, e-  
heu! obstupesco, largus & tam amplus pa-  
tet, vt vires meæ, quas scio quam exiguæ  
sint, ei nequaquam satisfacere possint.  
Sunt ornamenta ac decora intellectus &  
voluntatis, quæ maxime Principem de-  
cent, quibus exutus multum abest ab eo,  
vt maiestati & sublimiori dignitati suæ re-  
spondere & præclara facta sua tradere  
queat posteritati. Res bene se habet  
cum regionibus illis, quibus princeps  
prudentiæ atque eruditionis splendore  
inluminatus præest; quibus princeps vir-  
tutum, pietatis quippe, iustitiæ, clemen-  
tiæ aliarumque ornamentis cumulatus  
moderatur; quibus princeps omnem la-  
borem, omnem curam, omne studium,  
omnem operam consecrat, earundem-  
que felicitatem in maius meliusue proue-  
here, in eo unicum ponit voluptatem.  
Si dicere vellem de maximis PRINCI-  
PIS nostri virtutibus, quæ & oris facun-  
dia fulgentissimum rhetorem possunt de-

delectis

B 2

terrere,



terrere, ne id in se graue dicendi genus  
recipiat, quoniam quocunque spectamus,  
vbique summa & admiranda omnino,  
plura etiam sine exemplo contuemur;  
vereor, vt leue ingenium meum oneri il-  
li, quod magnæ molis ac magnitudinis  
est, sufficiat. ¶ Litterarum monumentis  
multa piorum principum exempla con-  
seruantur: ¶ clarus est Antoninus Pius,  
qui vnum ciuem seruare, quam mille al-  
ios perdere maluit: laudatur Theodo-  
sius iunior, in cuius pietatis æstimationem  
certarunt eruditi orbis iudicia; Ioannes  
Georgius I. Christum vitæ suæ scopum  
esse, publice professus est; Henricus Sa-  
xo manet in æterna gloria, qui & Pii co-  
gnomen ex morum constantia animique  
pietate meruit; nec memoriam glorio-  
sissimi T VI Ernesti, qui pariter Pius ad-  
pellatus, vlla delebit obliuio. ¶ Singulis  
illorum vt nihil genere, ita nec amore &  
vsu virtutis huius concedis, qui omnem  
laborem, omnemque industriam in eo  
collocas, vt quæ per celsissimos maiores  
defensa



defensa fuit Euangelii doctrina, in tuarum regionum prouinciis farta tecta conferuetur. Quid de priuatis precibus, facris lectionibus, sermonibus referam? quam deuotus es Deo in publico cœtu sacrorum caussa conuocato. nunquam oculos, nunquam animum a diuino præcone auertis: & quis incredibilis oraculorum diuinorum amor occupauit mentem Tuam, quæ quam diligentissimo & ardentissimo studio soles legere? Ex purissimo pietatis fonte PRINCIPIS nostri quid aliud potest manare, quam præstantissima quæque virtus, præsertim illa, quæ Principum debet esse propria. TIBI, Clementissime PRINCEPS, nihil prius aut antiquius est, quam ut alitrix illa rerum publicarum iustitia pie inuiolateque custodiatur, qua virtute qui TIBI ex veteri historia anteferri possit, certe neminem inuenire possum. Nec TVA iustitia ita dura & seuera est, ut nullum veniæ locum concedat, sed prout ad æquitatem omnia temperas, ita utra-

C

que



que clementia & iustitia pectus TVVM  
atque animum ex æquo gratisimum si-  
bi domicilium delegisse videntur. Re-  
gium est, omnibus benefacere, & si po-  
steritas miratur incredibilem Augusti  
clementiam, sique Iulius Cæsar sua erga  
miseros misericordia tulit sibi æternos  
memoriæ fructus; gloria TVA, quam  
comparas TIBI clementi pectore Tuo,  
comes sane erit immortalitatis. Verum  
præstat de his & aliis PRINCIPIS no-  
stri virtutibus iam tacere, quam pauca  
loqui.

Ex litterarum studiis fit progressus fe-  
licitatis Principum, quia litteræ funda-  
menta sunt virtutum, & præcepta bene-  
viuendi & feliciter imperandi non solum  
suppeditant, sed ista quoque, quæ præ-  
cipiunt, exemplis maximis inluminant,  
aliorumque pectora ad omnem virtu-  
tum amorem excitare atque inflammare  
solent. Si nihil aliud boni mortalibus  
litterarum cultus adtulisset, quam quod  
horridos atque feros mores propulisset,  
foret



foret permultum ; at illud disciplina-  
rum munus longe & maius & luculentius  
est, quod in homine sapientiam virtu-  
temque, si quæ insita ei atque innata  
est, iuuent roborentque, vt subinde  
vberior fructus ad reipublicæ salutem  
proficiscatur. Aristoteles ille magnus a  
quodam incultæ mentis nec politi inge-  
nii interrogatus, quid discriminis esset  
inter doctos atque indoctos, haud insci-  
te respondit : quod inter viuentes &  
mortuos. Vetus illud verbum est, du-  
plo plus videre & aliis longe perspicacio-  
re esse ingenio, qui litterarum studia  
amant æstimantque, & in illis vitam suam  
degunt, quum mentis nostræ oculos ar-  
tium ac disciplinarum splendor inradiat.  
Illosigitur, quos summi Numinis benigni-  
tas in auctioribus rebus collocavit, in alios  
regimen habere voluit, summa ope atque  
cura eniti oportet, vt pectus suum earum  
cognitione artium impleant, quæ cum  
multo vsu coniunctæ vitæ hominum &  
rebus gerendis maxime deseruire que-



ant. Epaminondas dux militiæ fortiffi-  
mus acerrimusque, inter litteras natus at-  
que educatus proditur: Philopœmenes  
veterum sapientum monita ac præcepta  
legit studiofè, & per manus accepimus,  
femper illi in ore iftud fuiſſe: DOCTRI-  
NAM DEBERE AD FACTA TEN-  
DERE, NON OTII AVT INVTI-  
LIS LOQVACITATIS CAVSSA  
VSVRPARI. Eadem cura magnam il-  
lam Cæſaris Dictatoris, magnam illam  
nepotis Octavii animam fatigavit, qui in-  
ter caſtra, inter armorum clafficorum-  
que ſtrepitus iis præcipue inuigilarunt  
libris, qui ad verioris philoſophiæ vſum,  
ad morum internæ mentis emendatio-  
nem, ad excelfam reipublicæ feliciter  
præeſſe prudentiam, ad aliam litterarum  
elegantiam atque amœnitatem perdu-  
cebant. Flavius Veſpaſianus Imperator  
ille eruditos cum reuerentia quadam di-  
lexiſſe memoratur; & tanto amore arti-  
um liberalium cultores fouit, vt primus  
e fiſco latinis græcisque rhetoribus an-  
nua



nuā centena constituerit, quam Vespasiani munificentiam Antoninus Pius, qui philosophos atque oratores multis præmiis ornauit, egregie sequutus prædicatur. Alii Imperatores, reges, principes artibus & disciplinis veteris Latii ac Græciæ, poëseos & scientiarum mathematicarum, itemque doctrinis sacris eruditi in historiarum monumentis consignati, & omnis posteritatis memoriæ commendati enitescunt. Faceſſat longe illa Caii Marii efferata & barbara vox: non placere sibi litteras, inutilem esse illarum scientiam, quæ ad beandum ciuitatis publicum statum nullum robur, nullamque vim habere videantur. Quorsum oratio mea se transtulit? differit de litterarum vtilitate; conligit vetustioris memoriæ illorum exempla, qui bonarum musarum exercitiis ingenium animumque inlustrarunt: quorsum, inquam, oratio mea se transtulit? cur ad antiquiora recurrit tempora? En PRINCEPS noster FRIDERICVS, PRINCEPS

D

CEPS



CEPS omni litteraturæ genere orna-  
tus, PRINCEPS, qui bonas litteras  
in altius prouehere omni cura, omnique  
studio enititur, PRINCEPS, cuius  
eruditione respublicæ inlustres atque  
excellentes enitescunt, PRINCEPS,  
cuius eruditionis gloria creuit in immen-  
sum & excrescet in dies latior, vt nec fi-  
nibus aliis, quam cæli, terminari queat.  
Sapientia TVA, PRINCEPS, quam  
orbis miratur, incredibilis est, cuius se-  
mina Deus TIBI indidit, quæ litterarum  
cultu fuscitata ad eam, quam habes, suc-  
creuerunt maturitatem. Studiis, quæ  
principem ornare possunt, ita animum  
ingeniumque imbuiisti, vt subinde pul-  
cerrimi fructus ad prouincias TVAS fe-  
rantur, & litteræ Tuæ gignant sapien-  
tiam, prudentiam alant, consilia expedi-  
ant, & res gerendas ita regant, vt ad fe-  
lices euentus perducantur. Latius ex-  
currit cognitio TVA in variarum gen-  
tium linguas, ciuilem prudentiam, ius  
ipsum Romanorum ciuile, inprimis hi-  
storiam,



storiam, quæ vere Principem format, & qua arte populus, effrenatum animal debeat moderate tractari, non tam præceptis docet, quam exemplis, quibus magnum robur inest, probat & mirifice inlustrat. In litteris & annalium monumentis vberissima huius rei seges est, in qua omnis exempli documenta in inlustri loco posita intueamur, & exinde capiamus, quod nobis & reipublicæ nostræ salubre, vt imitemur, & quod foedum incoeptu, foedumque exitu vitemus, fugiamus. Hæc vis historiæ est, hic vsus harum litterarum, vt quæ gesta vetustissimis temporibus sunt, etiam disiunctissimis terrarum locis menti nostræ perspecta ita proponant, ac si nostra ætate nobisque præsentibus gerantur, & nos pugnas, prælia pro tuenda patriæ salute ac libertate cum hostibus commissa inspiciamus, & omnia sine periculo, sine molestiis itinerum ac peregrinationum, sine sumtu, sine multo tempore res multorum seculorum, res maximi ponderis,



res singularis emolumenti, res miræ a-  
mœnitatis mente atque ingenio com-  
plectamur. Verum, Maxime PRIN-  
CEPS, summa est munificentia Tua, qua  
bonæ mentis litteræ, & doctrinæ sapi-  
entiæque studia ita adiuuantur, vt illo-  
rum emporia atque officinas contra ini-  
quitate[m] temporum tuearis fortiter; &  
inter celsissimi animi Tui decora & fan-  
ctissimæ vitæ insignia nihil gratius accidit  
mortalibus, quam summa Tua humani-  
tas, quæ nobiliores stimulat animas ac  
floridæ iuuentutis salutem prospicit magni-  
fice. Loquantur id præstantissimis arti-  
bus dicata domicilia, loquatur id Gy-  
mnasium Tuum Gothanum, domus ele-  
gantioris litteraturæ, sedes omnium vir-  
tutum, quibus florida iuuentus ita præ-  
paratur, vt fructus communi vtilitati &  
reipublicæ adferre, & relinquere possit  
posteritati. Multa debet hoc templum  
musarum piissimo Ernesto Tuo, cuius vir-  
tutum quum elegans ac pulcerrimum es  
exemplar, agunt musæ illæ Tibi quoque  
immor-



immortales gratias, quæ incredibili Tuæ  
benignitati multa incrementa, multa  
beneficia, multa priuilegia debere se  
intelligunt. Loquimini parietes, lo-  
quimini iuuentutis præceptores, loqui-  
mini litterarum alumni, loquimini ipsæ  
musæ, loquere ipsum domicilium, loqui-  
mini, inquam, & prædicate munifici ve-  
stri amplificatoris benignitatem. Tu  
quoque Gymnasium Altenburgense, de-  
dica facundiam oris tui laudibus Sere-  
nissimi PRINCIPIS FRIDERICI præ-  
dicandis, & vota pro salute eius nuncu-  
pa: Sis felix, optime Princeps, sis musis  
nostris, uti es, semper propitius, quæ in  
gloriam Tuam in singulos dies succe-  
scunt. Hic, hic est ille PRINCEPS,  
qui hanc musarum officinam ita exorna-  
uit, & quum antea squalore quasi horre-  
ret, ei optimam dedit faciem, ut cum  
illustribus Gymnasiis nunc comparari  
possit. Academia Ienensis quid Tibi  
aliud, quam laudis æternitatem potest  
spondere? quum musarum id munus  
E confue-



consuetudoque semper fuerit, vt statoribus suis ac conseruatoribus perennitatem famæ concilient, & gloriam illorum immortali cura & custodia tueantur. Quid de eximia Bibliotheca referam, quæ vel sola Tibi potest præstare immortalitatem? Sunt in honore, in honore famæ veterum Imperatorum nomina ex obliuionis tenebris bibliothecarum opera extracta, qui quum litterariæ rei librorum adparatus dedicaerint, nomen suum eiusdemque memoriam ab interitus tempestate vindicauerunt. Prædicatur in musarum monumentis Imperator Augustus, prædicatur Tiberius, prædicatur Domitianus, prædicatur Vlpus Traianus, prædicatur Hadrianus, prædicantur alii Imperatores, quod librorum thesauris siue conligendis, siue seruandis, siue ornandis, siue restaurandis celsissimi animi curas admouerint. Laudatur, immo laudabitur Ptolemæus Lagi munificus auctor Alexandrinæ bibliothecæ: sed quid



quid ad vetustiora secula recurram? Munificentia Caroli V. Eduardi VI. Laurentii Medicis & aliorum Regum, Principumque, quam in bibliothecam regiam Galliarum, Angliæ & Medicæam Florentinam contulerunt, ibit in secula, nec vllius voracitate temporis poterit consummari. Maximilianus I. Fridericus Guilielmus, Augustus, conditores bibliothecarum Vindobonensis, Berolinensis & Guelpherbytanæ omnium eruditorum ore atque animo celebrantur: Tuque, Gloriose PRINCEPS, qui adparatum librorum, cuius fundamenta posuit Ernestus Pius, reddis in dies amplio-rem, splendidiorem elegantio-remque, quantum cumulum addis gloriæ Tuæ, quum vniuersus orbis, qua litterarum patet cultura, & omnium seculorum, quæ sequentur, eruditi homines Tuam benignitatem erga musarum libros ferent in ore & æternitati, quam meretur, insinuabunt? Hic librorum thesaurus, qui præter alia litterarum de-



cora atque insignia, eiusmodi scriptis codicibus abundat, qui & antiquitate & elegantia magnam sibi pariunt auctoritatem, tanta Tibi, Maxime PRINCEPS, incrementa debet, vt Te verius conditorem atque parentem, quam amplificatorem veneretur. Quid referam de insigni nummorum thesauro, cuius magnitudo atque excellentia fulgentissimi rhetoris facundiam superat? habeo saltem illius mentionem, vt nouum mirificæ erga litteras indulgentiæ argumentum pateat: sic eiectas exfulantesque musas ad rempublicam reuocas, iisque omnes suggeris sumtus, quibus illas foueri, in maius meliusque prouehi atque exornari intelligis. Id tanti Principis gloriosum factum est, bibliothecas amplissimas, thesauros nummorum inlustres alere, tueri ac conseruare, & quod summum rei caput est, aulam uiris doctrina & rerum usu conspicuis ita abundare, vt qui istam in aliarum Europæ splendidissimarum euehat comparationem,

1700

B

nem,



nem, nihil quod reprehendendum sit  
committere videatur. Sed quid pluri-  
bus de Serenissimi Principis FRIDE-  
RICI diuinis mentis atque ingenii vir-  
tutibus disputabo? Pergam? illas haud  
cogitatione, multo minus oratione com-  
plecti possum: tacere me, consultius  
esse videtur.

Habemus igitur PRINCIPEM, Pa-  
triæ Patrem omni clementia, pietate,  
iustitia, sapientia, eruditione inlustrem,  
qui exemplar est eiusmodi virtutum, quæ  
in tam celsissimæ dignitatis personas vn-  
quam cadere possunt. Quæ maior exi-  
stimari potest felicitas, quam bonum  
Principem habere, quo nec votis me-  
liorem possumus effingere? quod vbe-  
rius bonum potest haberi, quam eius-  
modi Principem videre felicem? Feli-  
citas FRIDERICI nostri huius diei me-  
ditatio est, vt bona ad auctorem, vnde  
profecta, referantur, nosque maioribus  
victimis, qui hodie inluxit, natali die  
diuina sacra procuremus, & maiores  
F  
quam



quam vnquam Deo seruatori gratias agamus, pluribusque & lætioribus gratulationibus lucem hanc prosequamur. Pium est ac necessarium, vt summo Numini pro PRINCIPIS optimi salute agant habeantque immortales gratias; & futuræ felicitatis vota puris precibus & pio adfectu concipiant. Prouinciæ Tuæ Maxime PRINCEPS, Tibi omnes gratulantur, Tua omnes lætantur incolumitate; ciues Tui & clientes noua suscipiunt vota: Salue, carum Deo Tuo caput, Salue PRINCEPS, care nobis, lætare bonis Tuis, & frueri felicitate Tua. Virtus & liberalia studia se lætius extollunt, ac Tecum sic agunt, Teque venerabunda adloquuntur: Lætatur imprimis natalis Tui exortu, exortu auspiciatissimo: diligis nos vt pater filiam: hæc salus Tua, hic amor Tuus erga nos est sperandæ maioris felicitatis nostræ fundamentum: Deus, respice Patrem nostrum: defende illum ac tuere, eidem robur ac felicitatem adde: adde ipsius  
vitæ



vitæ diuturniorem moram: adde im-  
perio constantem prosperitatem: age  
benignissime PRINCEPS, quæ de-  
sunt nobis, adice, quæ obstant incre-  
mento nostro, prouidus dispelle: nos  
elegantis doctrinæ studia, quæ gloriam  
Tuam amplificabunt, magno animo,  
summa sapientia Tua confirma: age  
nobiscum pro ingenio Tuo, pro carita-  
te Tua: sic bene semper nobis erit,  
nec vnquam sumus cessatura, pro Tua  
salute nuncupare vota, & quod nostræ  
religionis ac pietatis officium est, glo-  
riam Tuam litterarum monumentis æ-  
ternitati commendare.

Qui gratulantur Tibi, Tuam admiran-  
tur felicitatem; clementia & præsidio  
Tuo delectantur, & præstant quidquid  
diei huius religio illos admonet, illis vt  
me quoque adiungam & in bona piissima-  
que verba animus meus sese effundat,  
patere clementer SERENISSIME PRIN-  
CEPS. Exsequar, quod submissæ men-  
tis pietas postulat, vt Clementissimo Ti-  
bi



bi PRINCIPI, qui singularis clemen-  
tiæ signa erga me Tibi deuotissimum  
declarasti, demississime gratuler, in ista  
felicitate Tua Numinis benignitatem a-  
gnoscam, Tibique animo puro, obse-  
quio sincero & subiectissima pietate om-  
nem prosperitatem precari sustineam.  
Vulcatius Gallicanus, Aelius Lampridius,  
Iulius Capitolinus auctores sunt, Sena-  
tum Romanum, etiam alios Marci Antoni-  
ni, Alexandri Seueri, Gordiani maioris  
clementiam his paucis verbis religiose  
prosequutos esse: **DII TE SERVENT**  
**Antonine, DII TE SERVENT** Ale-  
**xander, DII TE Gordiane SERVENT.**  
Tanta mihi fiducia bonitatis Tuæ est,  
Clementissime PRINCEPS, vt obli-  
gatione officii me exsolui posse credam,  
si eadem breuitate, iisdem paucis verbis  
votorum summam comprehendere ten-  
tem, & Te adloquar: **DEVS TE SER-**  
**VET FRIDERICE II. DEVS TE**  
**SERVET PRINCEPS OPTIME.**  
Tu, ergo, æterne Deus, qui **FRIDE-**  
**RICVM**




RICVM Tuum adhuc incolumem, fe-  
licem conseruasti, eundem Principem  
fufcipe, defende ac tuere. Christiano-  
rum veterum hæc olim vota erant, qui-  
bus Romanostum Imperatores, quamuis  
paganorum facris initiatos cum semper,  
tum fingulari deuotione folemnibus die-  
bus profequebantur, vt Deus illis det VI-  
TAM PROLIXAM, IMPERIVM  
SECVRVM, DOMVM TVTAM,  
EXERCITVS FORTES, SENA-  
TVM FIDelem, POPVLVM  
PROBVM, ORBEM QUIETVM ET  
QVÆ CVNQUE HOMINIS ET CÆ-  
SARIS VOTA ESSENT. Quanto po-  
tius Tibi PRINCEPS, christianis de-  
uoto facris moribusque imbuto sanctio-  
ribus hæc Tibi precor, vt Te feruet pro-  
pitium cælum, det longiorem vitam, fe-  
curum imperium, florentem domus Tuæ  
felicitem, ministros fideles, populum  
probum & quæcunque Tua erunt, opti-  
me PRINCEPS, vota & desideria. De-  
us amet Te semper: feruet menti diui-  
G nam



FK Wd 973

nam, quam dedit ipse, sapientiam: augeat quæ inde est, admirandam felicitatem: seruet quoque Deus Serenissimam Coniugem, ipsam multo clementissimam Dominam nostram, vt celsissima illius indole ac suauitate semper læteris: Seruet Deus & Iuuentutis Principes. Suffice iterum, Maxime PRINCEPS, felici natali TVO, & summis bonis, quæ cælo benigniori ac virtuti Tuæ debes, perpetuo lætare. Deus audiat, quæ pro salute Tua, pro augustissima Vxore, pro Principibus iuuentutis, pro vniuersa domo serenissima magno consensu precatus sum: Deus, quæ precor, audiat & dona in Te sua, vt salus Tua & Tua felicitas immoto & valido stabilitatis nitatur firmamento, augeat, amplifiet, iisque adiiciat perpetuitatem.





vd 18

ULB Halle  
006 391 095

3









Wd  
973

# ORATIO PANEGYRICA,

QVA

*SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,*

# DOMINO FRIDERICO II.

Gotha

SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE  
ET MONTIVM, ANGARIAE QVO-  
QVE AC WESTPHALIAE DVCI, LAND-  
GRAVIO THVRINGIAE, MARCHIONI  
MISNIAE, PRINCIPI COMITI HENNE-  
BERGENSI, COMITI MARCAE ET RA-  
VENSBERGAE, DYNASTAE RAVEN-  
STEINII ET TONNAE,  
CETERA,

PRINCIPI AC DOMINO  
SVO INDVLGENTISSIMO

# IN NATALI XL.

FELICI SIDERE D. VIII. AVGVST.  
EXORTO,

IN

AVDITORIO COLLEGII MAIORIS PRINCIPVM  
ACADEMIAE LIPSIENSIS

PVBLICE RECITATA,  
DEMISISSIME DEVOTISSIME QVE  
GRATVLATVR

M. IO. GEORGIVS WALCHIVS,

LIPSIAE,

TYPIS IO. ANDREAE ZSCHAV,  
M DCC XV.

